D. O. M. A.

DISSERTATIO THEORETICO-PRACTICA DE RATIONE OBSERVANDI MEDICA,

Quam

SUB PRÆSIDIO

DNI. JOH. SALTZMANNI,

Med. D. Anat. & Chir. P. P. O. Capit. Thom. Canon.

h. t. Decani Spectabilis

PATRONI, PRÆCEPTORIS ATQUE FAUTORIS

Ad

CINERES USQUE DEVENERANDI,

In Alma Argentoratenſium Vniverſitate

Exhibiturus eſt

AUTOR ET RESPONDENS

Friedrich Ehrenhold NICIUS,

Gorlicio Hexapolitanus.

D. Mart. D.DCC.XX. hor. loc. conſ.

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS HENRICI HEITZ.

PRÆFATIO.

Mirabimini forte, me, cui medicinam delibaſſe ſatis ducitur gloriæ, tantæ eſſe audaciæ tantæque temeritatis, ut rationem obſervandi medicam omnium exponere judicio non erubuerim. Audacia certe, illum præſcribere velle methodum, quam rariſſime huc usque exercere contigit. Aſt, cum in perlegendis auctoribus obſervandi dexteritatis laude celebribus talia animadverterim, quæ obſervationi debitam derogare poſſent fidem, neque hos errores, hæc præjudicia a Medicis annotari & rejici viderim, conjeci, hanc conſiderationem medicinæ tyronibus ideo relinqui, quia illis auctores perlegendi plus

ſuppetit temporis, plenior(ſit venia verbo)theorizandi eſt libertas, erroresq; medicorum annotandi major pruritus; hinc non potui non, quin una alterave harum rationum adeo me moverit, arrogantius audaciusque ſpartam in me ſuſcipere, ea perluſtrandi, quæ tyronum conſideratione ex negligentia virorum obſervando exercitatiſſimorum digna eſſe, divinando cenſui. Nemo itaque mihi vertet vitio, tale me thema elegiſſe, quod medicus in praxi exercitatiſſimus accuratius & perpendere & tradere potuiſſet, ſatius ducens, me pro modulo virium cognitionisque egiſſe. Quæ, ſive placuerint diſplicuerintve lectoribus mihi perinde eſt, qui ad utrumque æque paratus, æque patiens. contentus enim ſum, ſi de meo labore prædicatur, me rem medicinæ tyrone dignam elegiſſe, contemplaſſe, protuliſſe; qui ſecus judicaverit, illi in mentem revoco tritum illud proverbium: qui nunquam male, nunquam bene; Quod ſi nec hæc me excuſare credat, illum rogo, ut ſaltem eodem, quo ipſe fruitur, juris libere ſentiendi exercitio mactare me velit atque beare.

§. I.

§. I.

RAtionem obſervandi Medicam conſideraturo neceſſe eſt, ut de vera atque evidenti illius idea reali certior ſit, utpote fonte, cui omnes concluſiones, tanquam tot rivuli ſcaturiginem, claritatem debent. Hinc dicta obſervaturus, rationis obſervandi medicæ ideam ſequentem, ceu veram atque evidentem laudo. Eſt nempe mihi ratio obſervandi medica prudentia, circa cognitionem vulgarem phænomenorum humani corporis, ut de his certiores facti, ad illorum mutuam dependentiam atque connexionem, ex probabili hypotheſi explicandam aptiores reddamur. *Definitio.*

§. II.

Duplex autem huic prudentiæ ſeſe offert objectum: alterum eſſentialia ſaltem exhibet corporis humani phænomena, alterum acciden- *Diviſio.*

talia ; prius ſtatum corporis humani ſanum vel maxime reſpicit ; magis morboſum ſtatum conſiderat poſterius ; quem poſtremum ſtatum obſervator vel conſiderat talem , qualem invenit ; ubi animadvertet quod poſterius iterum in duas abeat ſpecies. Latius enim conſideratum itidem offert eſſentialia pariter ac accidentalia, quæ ſub nomine morborum venire ſolent ; vel conſiderat ſtatum hunc poſteriorem, qualis per medicamenta reſtituendus venit. Unde tertium oritur objectum , circa quod obſervator prudenter agere debet, nempe circa medicamentorum efficaciam atque effectum, ſive is in melius ſive in deterius abierit, dignoſcendum.

§. III.

Ordo tractandi. Sponte itaque noſtra ſeſe dividit tractatio. Præmiſſis enim regulis prudentiæ generalioribus, utrique ſtatui ſolennibus, connectentur regulæ unicuique ſtatui propriæ, huic alterive ſoli applicabiles : ſicque regulæ prudentiæ obſervandi phænomena corporis humani in ſtatu ſano verſantis principem tenebunt ordinem, quas excipient regulæ, accidentalia in morboſo ſtatu apparentia, recte prudenterque obſervandi ; tandem agmen claudere neceſſe eſt regulis, quæ medicamentorum ſive juvantium ſive nocentium effectum atque efficaciam tanquam tractationis objectum conſiderare debent.

§. IV.

§. IV.

Regulas autem prudentiæ obſervandi medicæ tradere inchoaturus, quædam prius præjudicia, eaque ſolennia atque uſitatiſſima removere neceſſe eſt, quæ præjudicia errores, in obſervando committi ſoliti, excipient, ut, remotis in recto tramite ſeſe objicientibus deviis, vias tanto minore metu aberrandi ſecurius ingredi queat ſedulus obſervator. *Connexio.*

V.

Inter hæc præjudicia ſolenne eſt illud Empiricorum principium primum, quod ſola obſervatio medicam terminet artem. (α) Hæc præconcepta opinio non ſolis Empiricæ Scholæ diſcipulis familiaris, ſed etiam Dogmaticorum irrepſit Scholas, ut tota ferme Medicorum cohors huic præjudicio jusjurandum dediſſe videatur, cum tamen maximorum exinde fluentium errorum mater dici omnino mereatur. Ut enim uſum ex tot per tot ſecula circumagitatis hypotheſibus in rationem obſervandi Medicam redundantem ſicco transeam pede, hunc ſaltem innuo errorem, quod ſi ſola obſervatio medicam efficiat artem, neceſſario exinde ſequeretur, medicinam non eſſe partem eruditionis, ſed cognitionis vulgaris, atque non eruditæ, ſicque Ratione, tanquam altero omnium hucuſque conſenſu *Sola obſervatio non efficit medicinam.*

(α) *Bagliv. l.* 1. *c.* 1. §. 7.

ſenſu (α) comprobato medicinæ fulcro, minime omnium opus haberet ars medica, ſed quod unico, ſolius nimirum experientiæ, fulcimento ſuperſtrui & poſſit & debeat: quæ tamen experientia, ſine ratione inſtituta, omnino fallax & ambigua ipſis præjudicii fautoribus declaratur conſentientibus. (β)

§. VI.

Cauſæ Phænomenorum obſervari nequeunt.

Præjudicium etiam eſt, quo nullum ſolennius, nullum frequentius, nullum etiam, quod minus hucuſque detectum fuerit, quodque ipſi obſervatorum Principes foverunt, tantum abfuit, ut illud agnoverint, aut evitare potuerint. Eſt hoc, quod cauſæ phænomenorum quorumcunque, præcipue vero morborum, obſervari queant debeantque. Ipſe Baglivus, (γ) cui inter obſervatores facile principem locum concedes, putat, imo præcipit, cauſas & antecedentes, & præſentes & obſervari poſſe, & debere. Quod ſi quidem illas ſub nomine cauſarum latere quis putet circumſtantias, quas infra antecedentium concomitantiumque nomine inſignire conſtituimus, excuſandumque propterea eſſe Baglivum, illius curis relinquo poſterioribus, an non deinde autor noſter, ab hoc judicio abſolutus quidem, illius erroris reus fiat, quem in altero abhinc paragrapho conſideraturi ſumus. Celeberrimi Anatomicorum ideo tot cadavera morte

(α) *Bagliv. l.1. cap. 2. §.3.* (β) *Bagliv. l.1. c.2. §.5.*
(γ) *l. 2. c. 3. §. 2.*

morte extinctorum hominum ſectioni ſubjecerunt, ut cauſas morbi mortisque viſui atque obſervationi exhiberent. (α) Quamvis quidem inficias ire nefas ducam, illos bene egiſſe, & exinde facem Ætiologicæ conſiderationi accendi potuiſſe, ſed lubentiſſime fateor, tantam ex ejuscemodi cadaverum ſectionibus redundaſſe, & adhuc redundare utilitatem, ut labor hic, laborioſa hæc curioſitas, maximas omnino mereatur gratias laudesque; id vero nemo, niſi hoc forte captus ipſe & detentus præjudicio, negabit, ſummopere illos erraſſe, dum cauſas morborum ſenſibus ſubjicere voluerunt, cum tamen hæ objectum rationis non ſenſuum ſint, quodque ad eruditam pertineat cognitionem, non vero ad vulgarem iſtam, ad quam omnis atque ſola refertur obſervatio.

§. VII.

Confuſio concluſionis & obſervationis.

Tribus nos conſiderandis jam accingimus vitiis, quæ cuncta ex uno derivantur fonte, nempe ex præfeſtinato intellectus, in explicandis naturæ phænomenis, judicio. Mox enim quædam obſervantur, mox intellectus illa poſſe comprehendi putat; cum tamen magnæ arbores citius extinguantur, quam creſcant, neque una dies exſtructam viderit Romam. Primum horum eſt non minoris, ratione damni exinde reſultantis, quam antecedentia, momenti; quod tanto magis metuendum, deteſtandumque, quanto frequen-

(α) *Epiſt. monit. Boneti: ſepulchret. anat. præfix.*

quentius inſenſibiliusque obſervatorem abripere & poteſt & ſolet, & quanto plures, eosque enormes producere conſuevit errores & hodienum adhuc producit. Eſt illud frequens illa, atque, nobis neſcientibus, irrepens confuſio concluſionis, ex obſervatione deductæ, cum obſervatione ipſa. Committi hæc ſolet confuſio a plurimis, iisque prudentiſſimis Medicis, præſertim in iis caſibus, ubi effectus quidam multoties, & ut plurimum præconceptam ſequi ſolet cauſam. Solenne exemplum præbent illi, qui oculis ſe videre ſibi perſuadent, animam rationalem corpus movere, ſeducti, quod animæ voluntati examuſſim reſpondere eamque inſequi ſoleat motus corporis atque membrorum. Equidem litem hic meam facere nolo, an exinde demonſtrari poſſit, quod anima rationalis ſit vitale illud atque motuum in corpore contingentium principium, an vero ad alia, cauſam motuum corporis determinandi, confugiendum ſit ſubſidia? Illud enim hic ſaltem monendum eſſe duxi, ne nos hoc vidiſſe & obſervaſſe nobis ipſis perſuaderi patiamur. Quippe in plurimorum Medicorum æque ac ægrorum verſatur ore phraſis illa, poſt obſervatam, dato medicamento, inſequentem ſive in melius, ſive in deterius mutationem; Sie hätten einen ſchönen Effect von dieſem oder jenem Medicament geſehen; Sie hätten es recht gefühlt/ daß ihnen dieſes Medicament ſo gleich gut gethan: Quibus expreſſionibus vulgus uti nemo mirabitur, abuti vero illis medicos (ut nempe eſſe-

effectum vidiſſe putent, cum id concludere neceſſe habeant, exceptis tamen iis caſibus, ubi effectus ſenſibus manifeſte patet) merito reprehendendum taxandumque. Quod ſi allotria immiſcere velimus noſtræ tractationi, quæ medica eſt, non phyſica, dicendum hic foret de iis, qui gravitatem aëris oculis videre manibusque palpare ſibi imaginantur. Nam & hi hujus vitii eluvie vel maxime conſpurcantur.

§. VIII.

Intermixtio ætiologicæ conſiderationis.

Poſterius vitium comitatur error eo ſolennior ac frequentior, eo quoque vafrius nos capiens, quo affinior antecedenti eſt, quod tamen magis in conſcribendis obſervationibus committi animadvertimus. Sæpe ſæpius nimirum obſervationibus noſtris immiſcemus conſiderationes ætiologicas, ut peritiſſimi fateantur (α) vix diſtingui poſſe: num natura loquatur an homo. Sic etiam committi ſolet, quando hic vel ille, accuratior etiam obſervationum collector, temperamentum ſimul annotaverit, contentum eum eſſe videmus indicaſſe ægrum temperamenti fuiſſe vel ſanguinei, vel cholerici, vel alius cujusque, cum tamen tot diverſitates in deſignandis temperamentis occurrant, quot de illis hypotheſes feruntur. Ille enim temperamentorum differentiam in quatuor iſtorum, lippis atque tonſoribus notorum, humorum abundantiâ, vel defectu quærit; quærit alter in laxitate & ſtrictura

B 2 par-

(α) *Bagliv. Prax. Med. l. 2. c. 2. §. 2.*

partium ſolidarum ; hic in ſale, ſulphure , mercurio, vel acido & alcali ; alter in miſcela principiorum phyſicorum , & in ſexcentis aliis , ut ſtomachum moveret omnes enumerare velle. Hæc vero differentia auctorum in deſignandis ægrorum temperamentis abunde nos docet, non ſufficere , hujus vel illius temperamenti fuiſſe ægrum, indicare, ſed, ut potius habitus corporis, humorum qualitas , ſine omni determinatione nude proponantur, ut ipſe lector exinde conjicere poſſit , qualis temperamenti fuerit æger, quippe ex quo plus emolumenti obſervationum ſentiet lector, quam ſi ex hypotheſi ignota determinatum inveniat temperamenti nomen. Neque tamen ipſum ab hoc præjudicio liberum putes obſervatorem. Infra etiam monſtraturi ſumus, eum imprudenter rationem miſcere obſervationi in deſignandis medicamentorum effectibus.

§. IX.

Non fingenda ſunt phænomena.

Tandem præjudiciorum errorumque agmen claudit error ille, ex pravâ voluntatis cupidine ortus, cum antecedentes intellectui potius ſuos debeant natales. Quem ſane errorem atro carbone dignum cenſeri , vel ſaltem ideo mereri fatendum, dum a voluntate intellectum ſæpius ſeduci quotidiana nos docet experientia. Sæpe enim ſæpius animadvertimus malæ fidei obſervatores, oſtentationis gratia multa variaque admiranda phænomena annotare, multa infelici ſuc-

ſucceſſu mulctata experimenta reticere; priorem felici cerebri inſani partu excluſum nothum, tanquam fœtum fidæ experientiæ venditare non erubeſcunt; poſteriorem, tanquam ſub infelici partu extinctum gemellum ſtudioſe prætereunt. (α) Res ſane tanto magis deteſtanda, quanto major culpa in huiuscemodi furfuris obſervatoribus deprehenditur. Hi enim maximorum errorum litiumque ſoli exiſtunt autores, ſoli verarum hypotheſium phyſicarum remoratores, ſoli veræ atque ſolidæ medicinæ obtrectatores.

§. X.

Nunc quidem poſitivam rationis obſervandi medicæ tractationem inchoare liceret, niſi adhuc mentem ſubiret, monendum eſſe, quod phænomena medicamentorum extra corpus noſtrum apparentia, minime omnium noſtræ faciamus tractationis, quippe medicamentorum præparationes, mutationes, effectus, mixtiones, ad phyſico-chymicam tractationem pertinere judicamus, eas vero omnes ad phænomena, circa quod noſtra hæc verſatur tractatio referre velle omnino improbamus. Nulla enim conſequentia & argumentatio, a medicamenti effectu extra corpus ad effectum in corpore expectandum valet, dum ſingula mutationem ſubire neceſſe habent atque pati, quæ ad deſtruendam conſequentiam ſufficit. Noſtræ tamen eſſe tractationis phænomena in corpore humano apparentia fatemur.

(α) *vid. Mengot. Epiſt. Mon. Bonet. Sepulch. præf.*

§. XI.

Ex amore hypotheſeos nihil reticendum.

Magna etiam inter magnos obſervatorum errores exiſtunt idola, (a) hypotheſes, ex præfeſtinante quodam pruritu, miranda naturæ comprehendendi, aſſumtæ. Quæ hypotheſes ſi ſemel cultum ab intellectu noſtro adepti ſunt, tantam exercent tyrannidem, ut ipſum obſervatoris ſenſum ad nutum ſuum obtemperare cogant, intellectum vero tam præoccupatum teneant, ut apparente etiam, remotis naturæ velis, veritatis lumine, præ candore magis occæcatum reddant, ut nonnulla incautius prætervideat, nonnulla ſtudioſe negligat, nonnulla malitioſe reticeat.

§. XII.

Digreſſio.

Deviis jam, in obſervandi recta via occurrentibus, cognitis, atque detectis, ipſam, recto nunc nos ad obſervandi dexteritatem ducens tramite, viam jam proſequi licet, cui etiam preſſo pede inſiſtere & poſſumus & volumus, conſideraturi regulas prudentiæ generaliores, unicuique ſtatui applicabiles.

§. XIII.

De phænominis certi ſimus.

Principem vero locum atque palmarium inter omnes, quotquot occurrunt prudentiæ obſervandi regulæ, tenet illa, quæ præcipit, ut de phænominis certiores eſſe debeamus. Nonne enim

(a) *Bagliv. l. 1. c. 5.*

enim fini noſtro adverſaremur nosmet ipſi , ſi hoc medium flocci naucique pendamus ? Numne ulla ex efficis phænomenis conjici poterit hypotheſis, vera naturæ phænomena æque ac efficta explicans. Nulla certe unquam hypotheſis, fictis innixa phœnomenis, naturæ mirandis ita applicari poterit,ut gradum aliquem probabilitatis inſignem obtineat. Certitudo hæc anima obſervationum ſalutari meretur vel maxime, quippe quæ firmum immobileque hypotheſium fundamentum & eſt, & eſſe debet. Cum enim omnis noſtra cognitio certo innixa debeat eſſe fundamento, ſi vera aut ſaltem probabilis æſtimari velit, neceſſe ſane eſt, ut de fundamento hoc certo certiores ſimus, niſi, incerto & inſtabili ſuperſtruentes fundamento,exſtructa opera corruere videre velimus. Nunc autem hypotheſium probabilium unicum, verum, ſolum fundamentum eſt vera non efficta obſervatio. Etenim natura probabilitatis in eo ſolo ſita eſt,ut hypotheſis reſpondeat obſervationi. Obſervatio ergo norma eſt atque regula, cui hypotheſis applicanda venit, ſi probabilitatis gloriam reportare velit : Quin imo ullam ſine obſervatione, quæ, ſi etiam multa largiamur, vera ſit an falſa, peræque eſt,vel ſaltem excogitari poſſe hypotheſin , omni jure meritoque negamus. Hujus enim formale in hoc conſiſtit, ut unicum,aut plura explicet phænomena,ſi ſaltem pro poſſibili agnoſci velit atque haberi; hinc Davum ipſum fateri neceſſe habere puto,præſtare,de firmo,ſtabili,

bili, eoque ſolo vero fundamento tanto magis ſollicicitos eſſe, quanto plus commodi atque utilitatis exinde reſultare poſſit in cognitione, quæ erudita audit.

§. XIV.

Semel aliquid obſervaſſe non ſufficit.

Quam cum tantæ deprehendamus utilitatis certitudinem, de illius acquiſitione omnem moviſſe lapidem juvabit. Quare & nos hic ſolliciti erimus, quædam, quæ ad certitudinem requiri putamus, conſiderare. Hic autem, præter præjudicia & errores ſupra notatos, utpote certitudinem hanc maximopere læſuros, ſedulo cavendos evitandosque, primum hanc certitudinem acquirendi atque palmarium eſt, ne putemus, una vice & ſemel quoddam obſervaſſe phænomenon, ad certitudinem hanc ſufficere. Cum enim in antecedentibus (α) demonſtraverimus, obſervatorem, nolentem, neſcientem, vitia atque errores admittere poſſe, certe anceps erit atque titubans, ſi ſaltem unica, vel duplici vice quicquam obſervaverit; quod quidem ad experimentum ſufficere, non vero obſervationem efficere ſciat, in qua certe ſuperfluam attentionem neminem unquam adhibuiſſe pœnitebit, pœnitebit vero illam neglexiſſe.

§. XV.

Phænomena con-

Altera obſervandi prudentiæ regula priori ad latus ponenda eſt, ut omnia phænomena, hoc vel

(α) *vid. ſupra.* §. 7.

vel illud concomitantia, ſimul annotet ſedulus fidusque obſervator. Cum enim ideo obſervationi operam navamus, ut exinde ad hypotheſin rationabilem, probabilem pertingendi pronior ſit via, nos vero, tanquam obſervatores, quibus ſolum gloria, rite obſervaſſe, relicta eſt, adhuc lateat, cui connectatur obſervatum phænomenum, qualem agnoſcat cauſam, quomodo ab hac vel illa circumſtantia dependeat, imo nos titubantes relinquat, annon ab una alterave præſentium concomitantiumque circumſtantiarum deſcendat; quilibet videt, tantum hanc regulam uſum afferre, quantum vix ulla poterit alia. Neque tamen hunc ſaltem uſum præſtare putes noſtram regulam, ſed attentus animadvertes, hoc adhuc oriri commodum, quod differentiam & convenientiam hujus vel illius phænomenorum Schematiſmi facilius accuratiusque animadvertere poſſis; in qua re multos alios ſuperavit Sydenhamius (α) *comitantia non negligenda.*

§. XVI.

Neque tamen obſervator antecedentia, quantum ipſi conceſſum, plane negligat. Nam & hæc majorem utilitatem præſtant, quam quidem primo intuitu liquet; quanquam verum eſt, hic aliorum in plurimis caſibus magis nos uti debere oculis; id quod neutiquam obſervatorem ab hujus regulæ exercitio deterrere debeat, ſed potius illum inſtiget, ut tanto majori prudentia rela- *Neque antecedentia.*

(α) *Conf. præc. ejus tract. de febr. epidem.*

relata phænomena conſideret. Ad has concomitantes & antecedentes circumſtantias autem referendæ veniunt 1. ætas; quippe ſuis morbis quamlibet ætatem vexari jamdudum accuratiſſimus noſter obſervator Hippocrates (α) innuit; Celeb. Stahlius (β) confirmavit. 2. Sexus, hunc enim differenti phænomenorum ſchemate diſtingui res eſt notiſſima. 3. Temperamentum, utpote, quod ipſum, tanquam totus aliquis circumſtantiarum complexus, conſiderandum; ubi tamen ſedulo obſervator obſervet, quæ de hac re §. 8. præfati ſumus. 4. Animi mores affectusque tanto magis conſiderandi ſunt, quanto majores mutationes in corpore humano illos ſequi conſtat, quam ſæpiſſime. 5. Diæta, an lauta & opulentior fuerit, an vero parca aſperoque victu plena; num vinoſa, num cereviſiaria; utrum craſſa, an tenuis. 6. Vitæ genus, ſedentariumne magis, an vero ambulatorium; utrum pace & otio requietum, an vero multis itineribus interruptum; otioſumne, an laborioſum. 7. Locus atque clima, quippe quæ in diverſis morbis mutationes inſignes producere poſſe volunt plurimi. 8. Aëris diſpoſitio & tempeſtatis, earumque mutationes, Hæ enim in corpus noſtrum alterationem inferre, non incredibile, cum noſtrum corpus phyſicum ſciamus; phyſica vero corpora mutuam activitatem exercere perſuaſi ſumus. Et hæ ſunt illæ circumſtantiæ, quæ phæ-

(α) *Aph. Sect. 3. aph. 34. usque ad fin.*
(β) *Diſſert. de morb. ætat.*

phænomena plurima vel antecedere, vel comitari ſolent; quæ ne in obſervando negligantur auctor ſum ſuaſorque.

§. XVII.

Eſt etiam obſervatoris obſervatione digna regula, ut nec rarius apparentia phænomena negligat, neque illis ſolum inhæreat, ſed in communia pari attentione quam ad rariora animum intendat dirigatque. Sæpiſſime regulam hanc negligimus, & duobus quidem contra illam peccare ſolemus extremis. Mox enim rariora Phænomena, tanquam quæ fortuito quarundam cauſarum concurſu exorta creduntur, ut ita minori applicatione digna forent; qui vero res accuratius perpendere conſueverunt, illi facile perſpicient naturam ſæpius ſeipſam tali rariore Phænomeno denudare, atque interdum vela, quibus admiranda ejus diſcreta ſunt, detegere ipſam. E contrario vero communes communiter circumſtantiæ vel ſaltem ideo, quia frequentius occurrunt (noſter enim animus ordinaria, quæque ante fores jacent, negligit tanquam vulgaria viliaque, rarioribus obſtupeſcens inhæret) negliguntur, atque tanquam res minoris momenti cenſentur, quæ tamen multoties anſam nobis præbent, talia cogitandi, quæ probabilem gignere poſſunt hypotheſin.

Neque rara ſolum neque frequentia ſunt obſervanda.

§. XVIII.

Conſideranda etiam venit methodus obſervationes tradendi aphoriſtica, quæ a plurimis, tan-

Methodi aphoriſticæ præſtantia.

tanquam omnium optima laudatur. Maximopere extollitur a Baglivo (α) qui tamen in errorem ſupra notatum incidit. Putat enim diſponi debere obſervationes, ut res majoris momenti, a reliquis minoris, ex ejus ſententia, momenti per titulos & locos communes ſeparentur. Quisquis vero rectam obſervationis ideam cum his, a celebriori alias, eoque accurato ſatis obſervatore prolatis, confert, is levi negotio pervidet, obſervatorem, quatenus talem, diſtinguere nec poſſe nec debere, quæ phænomena majoris minorisve ſint momenti. Hæc enim phænomena explicaturo dignoſcenda demum veniunt, non vero obſervatori. Illa enim majoris momenti eſſe creduntur phænomena, quæ alia, tanquam cauſa effectum producunt: quare oppido liquet, conſiderationem ætiologicam demum judicare poſſe, an majoris ſit momenti phænomenon, an minoris. Obſervatori enim, ut tali, impoſſibile eſt, ut phænomena a ſe invicem hunc in modum diſtinguere poſſit, quippe qui nudæ obſervationi, nudis atque ſolis phænomenis inhærere debet. Etſi enim concedi neceſſe ſit, aphoriſmos conſcripturo convenire, ut communia & multoties obſervata phænomena univerſalius proponat, reliqua vero rarius apparentia ſtrictius limitatiusque proferat; ſedulo vero etiam caveat, ne limitationes ex cauſali conſideratione petitas adjiciat, quamvis hæc optima feliciſſimaqne limitationum mater ſalutari atque coli mereatur; hic tamen

(α) *l. 2. c. 3.*

tamen ex ſola obſervatione petendæ erunt limitationes, quippe quæ æque limitationes producit; quanquam conſideratio cauſalis in negotio limitationes formandi obſervationem præcedit. Quin imo ſi obſervatorum anteſignanum, Coum ſenem, in conſcribendis aphoriſmis uti feliciſſimum, ita diligentiſſimum aſpiciamus, videmus, Eum nil niſi multoties obſervata phænomena nude & ſine oratoriæ ambagibus breviſſime proferre, ita ut ejus imitatores eſſe ſibi gloriæ ducant noſtros moneamus obſervatores. Fatendum enim, hac methodo aphoriſtica, plurima ſupra notatorum præjudiciorum errorumque genera facili levique negotio evitari, quæ in alia quacunque methodo vix evitari poſſunt, quippe quæ omnes ambages reſpuit; ſicque per accidens obſervatorem diſponit, ut ſaltem neceſſaria & obſervata, relictis conſiderationibus cauſalibus, proferat.

§. XIX.

Conſideratis nunc præcipuis iisque generalioribus prudentiæ obſervandi medicæ regulis, ad ſpecialiores properandum, ut inſtituti noſtri ſupra annotatæ diviſioni ſatisfiat. Hinc nos ad illas tradendas obſervandi prudentiæ regulas accingimus, quæ ſtatum noſtrum ſanum concernunt, eique ſoli ſunt applicabiles. *Digreſſio.*

§. XX.

Status ſanus æque obſervandus.

In primis autem lineis regulas ſtatus ſani phænomena obſervandi tradituri monemus obſervatorem, ne putet, ſtatum ſanum non eſſe ejus conſiderationis & attentionis ſubjectum, neque etiam illum poſſe unquam ſubjici medicæ contemplationi, dum non niſi ægri medicum accerſant conſulantque, non vero qui ſanitate fruuntur athletica. Aſt facili quidem negotio concedimus atque largimur, non pari ratione atque gradu medicorum contemplationi ſubjectum eſſe & ſubjici poſſe ſtatum ſanum, in quo morboſum conſtitutum videmus; tantum vero abeſt, ut hoc medicum humani corporis ſtatum ſanum conſiderare detineat, ut illi potius prudentius attentiusque ſeſe gerendi ſtimulo ſit, quo tanto ſolertior, quamvis etiam diffidentior, in hujus ſtatus phænomenis inquirendis ipſe exiſtat: Solertior ſit, ut eo melius ſtatus ſani phænomena obſervet, quippe quæ illi in morboſo ſtatu facem præferre & poſſunt & ſolent, ut morbum & citius dignoſcere, & indicationes citius invenire queat: diffidentior ſit, quia hic multum relationi hominis inhærere debet, quæ interdum ex ignorantia obſcura, ex affectu falſa profertur; interdum ignorantia & metus quædam in illa reticent, interdum affectus quædam fingit. Dari enim homines, qui æque in phyſicis, uti in moralibus temperamentum jactant calidum, cholericum, ſæpe experi-

perimur. Neque tamen putet nos velle illum ultra poſſe obligari, ut talia obſervari ſuadeamus, cum in morboſo ſtatu tam multa obſervanda occurrant, quæ totum requirunt hominem; largimur enim illi, ut tantum neceſſitati cedat, quantum amplior praxis, vel loci temporisque ratio id exigit.

§. XXI.

Ordo atque vigor probe obſervandus.

Omnium vero maxime obſervatori proficuum fore puto, ſi ordinem atque motuum vitalium vigorem bene cognitum habeat atque perſpectum. Normam quippe præbent, cui alterius ſtatus applicandæ ſunt anomaliæ. In quo tamen ordine obſervando ſollicitus erit, cujuslibet hominis, curæ ejus commiſſi, proprium ordinem obſervare, nec ex præconcepta opinione ſingulos atque omnes unius ejusdemque ordinis participes putet,ſed perpendat idioſyncraſiam in diverſis occurrere ſubjectis,quam tanto magis ſollicite animadvertet, quanto majus damnum inducere ſolet illam neglexiſſe, & quanto majus emolumentum ex ejus obſervatione redundat. Vigorem etiam obſervabit, ut ſciat, quantum in morboſo ſtatu ille declinaverit, quoadusque hic vigor excitandus, ſtimulandusve. Hic vero motuum vitalium vigor, pro varietate temperamentorum, duplex eſt, alter in majore conſiſtit ſenſibilitate, alter minus ſenſibilis, quamvis ſatis fortis exiſtat atque dura-

durabilis. Utrumque bene diſtinxiſſe ſua offert & affert commoda ; uterque aliam poſſit tractandi rationem : alter enim facilius movetur, alter difficilius ; alter diutius durat, citius deficit alter. Utriusque itaque natura nobis cognita utroque rite utendi ſuppeditat rationem.

§. XXII.

Regulæ obſervandi morboſum ſtatum.

Morboſum nunc ſtatum, in eoque obſervandas obſervandi prudentiæ regulas accuratius conſiderare præſtabit, tum, quod frequentius occurrat, tum, quod majorem requirat attentionem ob morborum multiplices ſchematiſmos, metaſchematiſmos, varietates, ſymptomatum ſyndromen, variosque illorum mutationes, concurſus, complicationes. Quare ante omnia in mentem obſervatoris revocamus, illa, quæ ſupra annotavimus, eſſe & morbis, quanquam ipſimet phænomena corporis exiſtunt accidentalia, ſua eſſentialia & ſua accidentalia ; hæc ut obſervator bene a ſe invicem diſtinguat, eſt quod primum illum monere volui ; probe perſpectum habens quantum hic a vero aberrare ſolenne ſit incautis medicis, quippe qui ſigna, quæ dici ſolent diagnoſtica, quæque morbum ſemper comitari ſolent, ut nullum prorſus reſtet dubium, quin ad eſſentialia referantur, cum accidentalibus quibusdam paulo frequentius eſſentialibus ſeſe jungentibus, confundere in peſſimo poſitum habent more,

more, ita ut ex hac confuſione etiam morborum oriatur confuſio; quale exemplum præbent confuſiones Pleuritidis & Peripneumoniæ. (α) Quæ confuſio atro carbone tanto dignior, quanto magis medico morbum noſſe convenit. Sic quibusdam etiam familiare eſt, variolis, tanquam diagnoſticum ſignum, attribuere tuſſim, atque oppreſſionem pectoris, ex nulla alia ratione, quam quod frequenter utrumque Symptoma variolis connectatur; quæ tamen etſi frequens ſit connexio, minime eſſentialitatem prodit. Ad hanc enim demonſtrandam, monſtrandum venit, id ſemper connecti jungique alteri.

§. XXIII.

Neque ultimæ conſiderationis eſſe putes illam regulam, quæ præcipit, omnes intellectui noſtro, ex pruritu naturæ arcana comprehendendi, præjudicanti, viliſſimas etiam viſas circumſtantias mutationesque morborum ſedulo obſervari atque attendi debere. Cum enim ideo Phænomena annotare neceſſe habeamus, ut tanto probabiliorem invenire queamus hypotheſin, neque obſervatori, quatenus tali, liqueat, quænam phænomena, quæ circumſtantiæ, ad hypotheſin anſam præbere poſſint, ridiculum foret, quædam negligere velle, quæ majoris momenti eſſe poſſunt, quam quidem primo intuitu liquet. Quod ſi huic, quanquam paulo generaliori, ſatisfacere velit regulæ obſervator, *Omnes circumſtantiæ obſervandæ ſunt.*

D de

(α) *Ettmüll. l. 1. Coll. Pract. Sect. XVIII. c. 1. art. 9.*

de die in diem omnes, quotquot occurrunt, circumſtantiæ, omiſſa omni earum ratione annotabit, neque ullam ſcienti volenti aufugiſſe gloriæ laudique ducet.

§. XXIV.

Specialius morborum.

Specialiora attendere jubet illa prudentiæ obſervandi regula, quæ obſervatori mutuam conſequentiam, connexionem, complicationem morborum, tempus invaſionis, quamcunque morbum intercedentem intermiſſionem, morbi progreſſum, exacerbationem, ſucceſſum, remiſſionem annotare, & monet & ſuadet & præcipit. Idem vero etiam de ſymptomatum valere annotatione facile conſtabit, utpote rei morbo affinioris, quaque nulla accedit propior alia, habita tamen ratione neceſſaria utriusque differentiæ eſſentialis.

§. XXV.

Non omnis effectus vel morbo vel medicamento adſcribendus.

Obſervatori adhuc obſervandum venit illud, ne omnem morbi mutationem ſchematisque transfigurationem, vel ſoli adſcribat morbi progreſſui, vel medicamentorum exhibitorum effectui. Utrumque enim probabilis monſtrare debet hypotheſis. Obſervatio enim nos ambiguos relinquit, an huic alterive debeat ortus ſuos, an vero plane aliam pro cauſa agnoſcat circumſtantiam.

§. XXVI.

§. XXVI.

Cum vero ſupra annotaverimus, obſervatorem ſtatum hominis morboſum dupliciter conſiderare, vel uti illum invenit, vel qualis reſtituendus; hinc regulas medicamentorum effectum obſervandi ſubnectemus. In horum vero dignoſcenda efficacia, ne omnem medicamentum exhibitum ſubſequentem mutationem, ſive in melius, ſive in deterius, exhibito adſcribat medicamento, neque tamen etiam illi deneget monemus. Utrumque enim juſto citius judicare eſſet. Præceps hoc judicium & vulgus, & quos ultra ſapere deceret, medicos committere videmus. Nihil enim frequentius, poſt paucas exhibiti medicamenti horas medicamento adſcribere mutationem, cum tamen ſe ſuosque decipiant. Equidem exhibitum medicamentum morbi mutationem ſecutam eſſe obſervamus, medicamentum vero mutationis cauſam certo extitiſſe, præceps nimis eſt concluſio.

Non omnis effectus medicamento attribuendus neque denegandus.

§. XXVII.

Magnus etiam error in dijudicandis medicamentorum effectibus committi ſolet, quod cum multa, alias longa experimentorum ſerie comprobata medicamenta, incaſſum hactenus adhibuerimus, hoc vel illud ſubjungimus, tandemque inſignem ſubſequi videmus morbi mutationem, mox hanc poſteriori oblato medica-

Poſteriori medicamento non ſemper adſcribendus effectus.

men-

mento adſcribere ſolemus ſoli, cum tamen obſervatio non decidat, an a prioribus exhibitis medicaminibus dependeat, an aliquid ad ſucceſſum contulerit poſterius, utrum vero non, an omnium cauſa extiterit, vel ſocia ſaltem fuerit cauſa.

§. XXVIII.

Obſervationis defenſio.

Perſpectis nunc plurimis palmariisque in obſervando committi ſolitis vitiis, nonnulli judicare poſſent, infirmo inniti medicam noſtram artem fundamento, utpote tot erroribus, tot præjudiciis fracto. Aſt ad ſe redeant ſuadeo. Æque enim præcipiti utuntur judicio, ac noſtrum huc uſque vidimus obſervatorem, nullumque aliud inter illos intercedit diſcrimen, quam quod alter judicet, dum non judicare debet, alter vero fontem erroris non detegat, cum illum tamen detegere putet. Omnes enim hi, quotquot annotati ſunt errores, quotquot etiam adhuc notari potuiſſent poteruntque, non obſervationi, fulcro illi medicæ artis primo, ſed obſervatori adſcribendos eſſe, ſicque vitium hominis, non rei eſſe ſciat atque perpendat.

FINIS.